Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



mitto angelum meum ante faciem tuam qui parabit viam tuam ante te. Dico autem vobis maior inter natos mulierum propheta iohannes baptista nemo
est. Qui autem minor est in regno celorum maior est illo. Et omnis populus
audiens et publicani iustificauerunt deum baptisati baptismo iohannis
Pharisei autem et legisperiti consilium dei spreuerunt in semetipsis non
baptisati ab eo. Dixit autem dominus Cui ergo dicam istos homines generationis
huius et cui similes sunt. Similes sunt pueris sedentibus in foro et
loquentibus ad invicem et dicentibus Cantauimus vobis tibiis et non
saltastis Lamentauimus et non plorastis. Venit enim iohannes baptista
nec manducans panem nec bibens vinum. et dicitis Demonium habet.
Venit filius hominis manducans et bibens et dicitis Ecce homo vorator
et bibens vinum amicus publicanorum et peccatorum. Et iustificata est
sapientia ab omnibus filiis suis Rogabat autem eum quidam ex pharisaeis
ut manducaret cum illo Et ingressus domum pharisei discubuit
Et ecce mulier quae erat in ciuitate peccatrix ut cognouit quia iesus accu
bitus esset in domo pharisei attulit alabastrum unguenti et stans retro
secus pedes eius lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis
sui tergebat et osculabatur pedes eius et ungebat unguento Videns
autem pharisaeus qui vocauerat eum ait intra se dicens Hic si esset
propheta sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum quia peccatrix
est. Et respondens iesus dixit ad illum Simon habeo tibi
aliquid dicere Ille autem ait magister dic. Et respondit iesus Duo
debitores erant cuidam fenatori Unus debebat denarios quingentos. et alius quinquaginta, non habentibus illis unde reddere donauit utrisque Quis ergo eum plus diligit Respondens Simon
dixit Estimo quia is cui plus donauit Ait illi respondit Recte
iudicasti. Et conuersus ad mulierem dixit Simon vides hanc
mulierem. Intraui in domum tuam aquam pedibus meis non dedisti
hanc autem lacrimis rigauit pedes meos. et capillis suis tersit
Osculum mihi non dedisti. haec autem ex quo intrauit non cessauit osculari
pedes meos. Oleo caput meum non unxisti hanc autem unguento unxit pedes meos Propterea dico tibi remittuntur ei peccata
multa quia dilexit multum. Cui autem minus dimittitur minus diligit Dixit
autem iesus ad illam Dimittuntur tibi peccata Et coperunt qui simul
accumbebant dicere intra se Quis est hic qui etiam peccata dimittit